



LIVIA MEDVLLINA, cognomine Camilla, è genere antiquo Dictatoris M. Furij Camilli (cuius meminimus in priori huius operis parte pag. 125.) eo ipso die qui erat nuptiis Claudij Imp. atque huius Medullinæ destinatus, morbo periit. Vide Sucto. in Claud.

PLAVTIA HERCVLANILLA, triumphali patre nata, eidem Claud. Imp. nupsit, cū qua diuortium ille fecit, ob libidinū probra, & homicidij in virum suspitionem. ex hac Claudiam suscepit, & Drusum, quem puberem amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum, cui & filiam Seiani desponderat. Vide vt supra. Cæterum de Seiano homine præpotente ac prædiuite, cui tandem fortuna nouercam se præstitit, vide Iuuenalem Satyra 10. nam huius exemplo nimias opes, potentiam ac fastum multis exitio esse ostendit Iuuenalis, his versibus:

*Quosdam præcipitat subiecta potentia magnæ  
Inuidiæ, mergit longa, atque insignis honorum  
Pagina, descendunt statuæ, restemque sequuntur.  
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis  
Cedit, & immeritis franguntur crura caballis:  
Iam stridunt ignes, iam follibus atque caminis  
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens  
Seianus, deinde ex facie toto orbe secunda,  
Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patellæ.  
Pone domi lauros, duc in capitolia magnum  
Cretatumque bouem, Seianus ducitur vnco  
Spectandus: gaudent omnes. &c.*